

**DIE DECIMA TERTIA IUNII.
DE SANCTO ANTONIO, ORDINIS
MINORUM S. FRANCISCI. PATAVII IN
DITONE VENETA
COROLLARIUM**

De Canonizatione Bullis Pontificiis declarata.

[76] Tot tantisque & multo pluribus aliis miraculis declarata divinitus sanctitas Antonii, cito ab Apostolica Sede obtinuit, [Canonizatione celebrata 30 Maji,] quam ab ea poterat obtinere certitudinem inter mortales summam. Prius enim quam primus a morte annus effluerat, celebrata Canonizatio fuit, ut dictum in Vita num. 33. in die Pentecostes 30 Maji; & mox sequenti mense expedita fuit Bulla; cujus, inquit Waddingus num. 14, vidi exempla plura, in solo subscriptionis die discrepantia. Cum enim multa transmitti oporteret, nec uno scribebantur aut dabantur die, diversi temporis præferunt notas. Unum habetur in Regesto Vaticano num. 12, [mense Junio expediuntur Bullæ:] sub Kal. Julii; & totius rei seriem descriptionemve originalem, inter vetera tabularia Anagninæ repertam, servari Romæ in Vaticano ex mandato S. D. Gregorii, sibi retulisse Reverendiss. D. Calligarium Brittonoriensium Episcopum, scribit Rodolphus; quam ego tamen, inquit idem Waddingus, non potui detegere. Optamus sane ut detegatur. Interim unam detexit Saviolus pag. 52, postridie, id est, secunda Pentecostes datam, & Paduanis directam hoc tenore:

BULLA CANONIZATIONIS.

[77] Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, [quarum brevior una,] Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis, Potestati & Populo Paduano,

salutem & Apostolicam benedictionem. Litteras, quas per dilectos filios G. Priorem S. Mariæ de Monte-Crucis, Archidiaconum & Canonicum, Fr. Gerardum, & Fr. Spinabellum; ac nobiles viros Schinelam & Robertum Comites, Paschalem & Carolum Paduanos, nuntios vestros, vestra nobis devotio destinavit, [Patavinis directa,] paterna benignitate recepimus; & tam ipsarum seriem, quam ea quæ nobis ex parte vestra iidem prudenter exponere curaverunt, intelleximus diligenter. Ceterum, cum tam per easdem litteras, quam per ipsos nuntios nobis duxeritis humiliter supplicandum; ut, cum Dominus tantam sanctæ memoriæ Beato Antonio contulerit gloriam, ut (ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis illius, & certum indicium de secunda) sepulcrum ejus tot & tantis det coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum; ipsum Sanctorum Catalogo adscribere curaremus.

[78] Nos, etsi Romana Ecclesia, in tam sancto negotio, non sic subito, sed cum gravitate & maturitate plurima, consueverit procedere hactenus; tamen sinceræ fidei vestræ zelum & devotionem, quam ad Nos & eandem Ecclesiam habere noscimini, attendentes; [ad quorum preces canonizatio fuerat maturata] ad confundendam hæreticam pravitatem, & fidem catholicam roborandum; ipsum Catalogo Sanctorum, ex Fratrum nostrorum consilio, & omnium Prælatorum apud Sedem Apostolicam existentium, duximus adscribendum. Volentes igitur ut civitas Paduana, quasi lucerna super candelabrum posita, lumen præbeat aliis per exemplum; Universitatem vestram rogamus, monemus attentius, & hortamur, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum; quatenus in timore divini nominis, & amore ac devotione Apostolicæ Sedis, immutabiliter persistatis. Nos enim, cum vos geramus in visceribus Jesu Christi, ad honorem & profectum vestrum libenter, [signatur 1 Junii:] quantum

cum Deo poterimus, intendemus. Datum Spoleti, kal. Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

[79] [prolixior alia,] Prolixiorem aliam, magisque universalem, & biduo post datam, sic recitat Waddingus:

ALIA BULLA.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, [ad omnes fideles,] Archiepiscopis & Episcopis; dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatiis, præsentem paginam inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum dicat Dominus per Prophetam, Dabo vos cunctis populis in laudem & gloriam & honorem; & per se polliceatur, quod Justi sicut sol in conspectu Dei fulgebunt; [Soph. 3, 8, Mat. 13, 43] pium & justum est, ut, quos Deus merito sanctitatis coronat & honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris: cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in secula & in Sanctis. Ut enim suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operetur; fideles suos, quos semper coronat in cælo, frequenter etiam honorat in seculo; ad eorum memorias signa faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur; fideles, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam; [exponit quod Deus Sanctos suos velit & in terris honorari,] hæretici, depulsa in qua jacent cæcitatæ caligine, ab invia reducantur ad viam; & Judæi atque Pagani, vero lumine cognito, recurrant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam.

[80] [idque declaret per miracula;] Unde Nos, carissimi, etsi non quantas debemus, quantas possumus gratias

agimus gratiarum omnium Largitori; quod diebus nostris, ad confirmationem Catholicæ fidei, & ad confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa, & mirabilia potenter immutat; faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam, tam corde quam ore, nec non & opere, roborarunt. De quorum numero sanctæ memoriæ B. Antonius, de Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in seculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cælo multis coruscat miraculis, ut ejus sanctitas certis indiciis comprobetur. Cum enim dudum venerabilis Frater noster Episcopus, & dilecti Filii Potestas & Commune Paduanorum, nobis per nuntios suos & litteras humiliter supplicassent; [in quibus excellere Antonium,] ut, cum Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, ut ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius, & experimentum evidens de secunda, sepulcrum ejus tot ac tantis daret coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia, est indignum; de ipsius miraculis testes recipi mandaremus.

[81] Nos, attendentes, quod, licet ad hoc ut aliquis Sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud, Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc tamen ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum & veritas signorum, merita videlicet & miracula; ut hæc & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant, ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati; sed cum merita sana præcedunt, [comperiens Pontifex,] & clara succedunt miracula, certum præbent indicium sanctitatis; ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus & signis subsequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur; Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante

sequentibus signis: eidem Episcopo, & dilectis Filiis Fr. Jordano S, Benedicti, & I. S. Augustini, Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Paduanorum, receptionem testium de miraculis ejusdem Sancti, duximus committendam. [Apoc. 2, 10, Mat. 16, 20.]

[82] Nuper autem, tam per relationem prædicatorum Episcopi & Priorum, [ex informationibus ad se missis,] quam per depositiones testium super hoc receptorum, de ipsius virtutibus & miraculorum insigniis certiores effecti, & experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitæ & admirabilem conversationem ipsius, utpote qui apud nos fuit aliquando laudabiliter conversatus; eisdem Episcopo, Potestate ac Commune prædictis, per solennes nuntios suos & litteras nobis cum instantia denuo supplicantibus, [declarat, quod ad preces Patavinorum] quod eundem Fratrem Sanctorum Catalogo adscribere dignaremur; ut auctoritate (sicut convenit) Apostolica Patavinorum dignus honor illi exhiberetur in terris, qui (sicut claris signis & evidentibus argumentis apparet) honoratur in cælis; ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cælestibus, ne illius honori debito & gloriæ detrudere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permetteremus ulterius humana devotione privari; de Fratrum nostrorum consilio & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, Catalogo Sanctorum duximus adscribendum.

[83] Cum igitur, secundum Evangelicam veritatem, nemo accendat lucernam & ponat eam sub modio, sed super candelabrum, [ipsum canonizat,] ut omnes qui in domo sunt lumen videant; & prædicti Sancti lucerna hactenus sic arserit in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari; universitatem vestram rogamus, monemus attentius & hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipsius

salubriter excitantes, festivitatem ipsius Idibus Junii annis singulis celebretis, & faciatis solenniter celebrari: [& festum celebraturis largitur Indulgentiam.] ut ejusdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præsentis & gloriam nobis tribuat in futuro. [Mat. 5, 16] Nos autem cupientes sepulcrum tanti Confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari; omnibus vere pœnitentibus & confessis, illud in festivitate ipsius, usque ad octavum diem, annis singulis cum reverentia debita visitantibus; de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, annum unum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Spoleti III Nonas Junii, Pontificatus nostri anno sexto. [3 Junii.]